

Sed horum omnium Apodixes atq; causæ ex adiunctis apparent Diagrammatis, nec non ex citatis Euclideis Elementis: inq; nostrâ Astronomiâ latiùs ac fusiùs explicabuntur: intereaq; optime philomathes his paucis acquiesce fruereq;. Sed notis iam per quamuis harum segmentis baseos, constabit perpendicularis dimittenda atq; inuestiganda per penultimam primi Euclidis.

XVII. De planis obtusangulis, inque illis Cautiunculâ quâdam.

In planis obtusangulis admonendum venit vltimò, quòd sinus anguli obtusi seu Recto maioris semper indicat arcum seu Amplitudinẽ eiusdem anguli obtusi semiperipheriâ, seu Rectâ angulo Recto subtensâ (id est, ipsâ Diametro circuli) maiorem. Idq; per 13. Elementum. Atq; hæc de Triangulis planis, deq; totâ Doctrinâ Triangulorum: Quæ Ardua, Arcana, Abstrusa, Abscondita, Amplissima, maximeq; artificiosa, imò profunda, clandestina ac ingeniosissimæ Doctrina, à tot summis viris, et tot seculis summis votis est expetita, desiderata, exoptata, nec minùs à tantis artificibus promissa, iactata, frustraq; tentata, nunquam tamen iustâ ac integrâ methodo absoluta: à nobis tamen, tanquàm σὺν Γεράδλῳ ac veluti aliud agentibus, præstita: Cum quâ Astronomicam Calculationem concludimus.

Finis Doctrinæ Triangulorum: sequitur Obseruatio.